

ter und Dichter gemeinlich ein geschlecht affectirter und gezwungenen...
 Einmal die Muster, die man vor sich hat, sind groß, schwer zu erreichen,
 und geben einen beständigen gegenstand der vergleichung ab. Inzweyten
 der allgemeine geschmack am schönen und correcten, und der befall,
 den dasselbe erhält, giebt dem arbeitenden eine zu große aufmerksamkeit
 auf die erfüllung dieser forderungen; und indem er so unter der arbeit
 seinen feiner werck beurtheilt, tadelt und bessert, verliert es die Einheit, den
 gleichen fluß, das Natürliche, die Einfalt, die die sorgensfreyen und nur
 mit ihrem vorwurfen beschäftigten Genies erreichten.

l. c. p. 388 sq.



D. F. G.
 DISSERTATIO ACADEMICA

DE
 PRÆJUDICIIS
 AMOVENDIS;

QUAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN
 REG. ACAD. ABOËNSI,

PRÆSIDE

MAG. HENRICO GABRIELE
 PORTHAN,

ELOQU. PROFESS. REG. ET ORD.

PRO GRADU

Publice ventilandam sibi

MATTHIAS CASTRÉN,

OSTROBOTNIENSIS.

In AUDITORIO MAJORI Die VIII Junii An. MDCCCLXXXV.

A B O Æ,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typogr. J. C. FRÆNCKELL.

VIRO
ADMODUM REVERENDO ATQUE
PRÆCLARISSIMO,
D: NO MAG. ERICO CASTRÉN.

Ecclesiæ Pudasjärviensis Pastori Meritissimo,

PATRI INDULGENTISSIMO.

Beneficia, quibus me, PATER OPTIME, inde ab incunabulis ad hunc usque diem maximis vereque Paternis cumulasti, mente revolvens, non possum quin opportunitate letus utrumque iam mihi oblata, pietatem, pectori hætenus inclusam, publice testatam faciendi. In cujus documentum, gratissimamque animi tesseram, & sensus nunquam cessaturi, Dissertationem hanc, Paternæ TUÆ illam quoque benignitatis fructum, TIBI venerabundus consecro; quam itaque hoc nomine, ac ut hujus interpretem affectus, benevole excipias, enixe rogo; ab imo vovens pectore, velit TE Summus rerum humanarum Arbitrator saluum sospitemque, & omni felicitatis genere florentem atque cumulatum, ad ultimos usque mortalitatis terminos servare, nobis, qui a TUA pendemus salute, omnibus spei, præsidio & gaudio exoptatissimo!

PATRIS OPTIMI

filius obedientissimus

MATTHIAS CASTRÉN.



§. I.

Qui res humanas paullo diligentius consideraverit, experientiamque imprimis consuluerit, facillimo sane intelliget negotio, radicem omnium fere errorum malorumque quibus vita humana afflicta est, in Præjudiciorum agmine, quod animos obsidet mortalium, quærendam esse; quæ nisi mature removentur, omnes fere cogitationes & actiones hominis per totam vitam veneno inficiunt suo. Ex his enim, ex. g. natales cæci religionis zelli repetendi sunt, quo multi acti crudelissimas in homines innocentes moverunt persecutiones plurimamque eorum millia more ferocissimo trucidarunt. Unde etiam hoc, opinionibus de religione diversissimis inter se dissidentes, noxiæ ortæ sunt sectæ? unde turpis multisque opinionum monstris deformata de spectris & magia Dæmoniaca persuasio, non modo inani homines terrore vexans, sed etiam plurimis mortem immeritis accelerans, vitæque humanæ haud levia conflans incommoda? unde spes gloriæ bellis etiam injustis parandæ? unde pugnarum singularium furor, nisi ex venenato hoc fonte, scaturierunt? Pauca tantum, ex multis, exempla posuimus. Veritas hujus rei non potest non cuique, vel paullulum rem pensitanti, clarissime apparere; quapropter inter omnes sapientes convenit, Præjudicia, ut pestem omnis humanæ felicitatis, maximo quo fieri possit studio a quovis & privatæ & publicæ salutis amico, esse arcenda justoque odio prosequenda. Neque labor ille molestus, quem hisce intel-

A

le-

❖) 2 (❖

lectus morbis cavendis sanandisque impendere necesse est, quemquam ab hocce deterrere debet consilio; nam sapienter susceptus, locupleti pramio compensatur. Cum vero quaestionem moverint Philosophi, non modo quantum fieri hoc a quoque debeat, sed etiam quibus adjumentis atque adminiculis, & qua ratione, consilium ab his sese malis vindicandi, felicissime perfici queat, siue quam ingredi viam homines debeant, qui communes hostes felicitatis suae hostes prospero aggredi successu voluerint? operae pretium duximus, huic argumento diligentius considerando atque exponendo industriam qualemeunque consecrare; meditationesque hinc natas, ipsemet natus, quod nobis edendum fuit, Academici loco, a quo Lectoris faventique iudicio jam submittimus.

§. II.

Qualis curatio felix Praejudiciorum esse debeat, non nisi morbo ipso bene cognito rite ferri iudicium potest; quapropter istum suscepturi laborem, noscant primum accurate, oportet, cuius generis & indolis praedictis maxime regi, & humanum genus & sua aetas & mens cuiusque soleat, ut medelam deinde malo afferre queant convenientem & efficacem. Illi quidem WOLFIUS (a) autumat, non multum adeo laborandum esse de evitandis praedictis; sed pace tanti viri dixerim, parum idonea nixus ratione. Ad praxin Mathematicorum provocat, qui vi demonstrationis solius in Mathesi pura, vi observationis exactae demonstrationi junctae in mixta, praedicta felicissime evitant, de iis evitandis parum cogitantes. Quamobrem, addit, de praedictis non longam se instituire tractationem.

(a) Philos. Rationalis s. Logicae §. 1011.

❖) 3 (❖

Non autem sufficit homini veritatis studioso, praedicta in posterum modo cavere nosse vel evitare; sed doceatur etiam turbam eorum, quae hactenus imbibit, exuere: nec ut ad figuras suas vel numeros considerandos Mathematici, ita ad res quascunque alias, (quae vehementer & in varias partes flectunt saepe animos, quarumque falsis oppleti sumus notionibus), integri & indifferentes accedimus.

Deinde sicut curam, quam Medici corporis gerendam inculcant, duplicem illi recte statuunt, nempe ut & quantum fieri possit, caveamus diligenter ne in morbos incidamus, & si valetudine iam premamur afflicta, aptis remediis adhibendis restituere vitiaque depellere nitamur; ita in animi quoque cura peragenda, duplex ratio suscipienda est. Praedicta igitur primum cavere studebimus, atque pro virili parte, ne aditus iis in mentem nostram pateat prohibere. Hoc autem fieri nequit, nisi a prima jam infantia summo opere studuimus, ut habitum (quem vocant) rite cogitandi & evidentiam ubique sectandi nobis pararemus, in omnium semper principiorum, quae mens adoptabit, rationes & veritatem diligenter inquisivimus, atque omnem assentiendi & opinandi caecam fugimus temeritatem: ita ut nihil carbonaria probemus fide, verum claras, distinctas & completas ideas quantum fieri possit, nobis comparemus & in mente figamus, nec casui & dubiae quasi cuidam aetate nos unquam tradamus; in rebus, de quarum veritate vel falsitate nondum constat, iudicium suspendamus, donec rationes ab utraque parte sufficienter examinaverimus ac perspexerimus; ubi autem aliqua adest iudicandi ratio, secundum gradus tamen cognitionis nostrae, vel pro rationum pondere & certitudine, iudicium temperemus & moderemur.

Quisquis autem conditionem humanam considerans, quantaque præjudiciorum multitudo animos nostros in infantia, pueritia, adolescentia, priusquam ipsi acute iudicare didicimus, libere occupet; quamque extra nostram positum sit potestatem, hoc malum profus arcere; quam parum postea quoque diligentes simus, ac esse plerumque possimus, in hostibus hisce maturiore ætate severe prohibendis & præcludendis: is facile intelliget, doctrinam quoque de illis *evuendis* atque *expellendis*, maximi profecto esse momenti, & in Logicis præcipuum quandam merito postulare locum. Unicam vero pro afflictis iis mentis sanitate recuperanda, pesteque ista depellenda, medicinam, in *sobria dubitationis* ratione quaerendam esse, dudum monuerunt viri docti atque prudentes; nulloque ea non ævo ab ingenuis ac peritis veritatis amicis serio & graviter commendata fuit (b). Nisi enim probatis olim temere principiis & placitis diffidentes, in dubium ea aliquando revocemus, in fundamenta eorundem atque rationes severe inquirere instituamus, atque assensionem tandem cohibeamus, quoad certis & spectatis rationibus niti animadverterimus; quomodo a temerariarum & erronearum opinionum dominatione ac jugo, quod, fato quodam humanitatis, nos premit, liberabimur, & tu

(b) Vel Socratis atque Academicorum olim exemplum satis ostendit, sensisse eos hujus prudentiæ necessitatem; licet veram sereno mediocritatem nescii, & hi & Sceptici, Charybdin evitare cupientes, in Scyllam (ut proverbio dicitur) incidere, & insanum perpetuo de rebus omnibus dubitandi morem amplecterentur. Summus autem ALISTOTELES, ut in aliis multis acutissime vidit, ita neque hic laude sua se inferiorem præstitit. Egregie enim hujus rei rationem, in II Libri *Metaphysicorum* Imo explicat Capite, pulcherrime præcipit: Ad illam quæ quaritur scientiam comparandam, necesse est prius explicare de quibus primum nos dubitare oporteat. Hæc autem sunt, de quibus aliter aliquando quibusdam visum fuit, & si quid præterea

et restatque veritatis via feliciter progrediemur (c)? A CARTESII autem præcipue ætate dilucidius & accuratius, de hac re præcipere rursus Philosophi instituerunt, atque non solum de necessitate hujusmodi Dubitationis, sed etiam de *recta ejus ratione, lege atque modo* diligentius disputare: quam igitur ut paucis exponamus doctrinam, præcipuaque Philosophorum saniorum de hac prudentia adferamus monita, instituti ratio exigere a nobis atque postulare jam videtur.

§. III.

Inter plures vero quæ hic sese enodandas nobis præstant quæstiones, primo statim loco docendum videtur: quando igitur & quibus præmuniti præsidis, ad hoc opus aggredi nos oporteat? Nani neque in puerili ætate ei susci-

A 3

lius neglectum forte sit. Est enim fructuosum, bene cogitandi comparare facultatem studentibus, recte dubitare. Nam subsequens perspicendi felicitas, solutio est eorum de quibus antea dubitatum fuit. Solvere autem non potest, qui nodum ignorat: sed dubitatio mentis hoc ipsum de re quavis facit manifestum. Quatenus enim quis dubitat, eatenus simile quiddam ligatis patitur: nam utroque modo impossibile est ulterius progredi. Quamobrem omnes prius difficultates speculari oportet, & hæc ad causam, & propterea quod qui in res inquirent, nisi antea dubitaverint, similes sunt hominibus quorsum eundem sibi sit ignorantibus; adde, quod nesciunt utrum rem quæsitam invenerint nec ne: mentes enim hi non conspiciunt, vite autem dubitanti manifesto ea cernitur; atque & perspicacior sit, necesse est, ad judicandum, qui tanquam adversarias, & pugnantes utrinque rationes omnes, antea audiverit.

(c) Sapienter itaque CICERO de re una gravissima disputans, opiniones excas rejecit, evidentem expetens demonstrationem: Esse Deos, inquit, persuaderi mihi non opinione solum, sed etiam ad veritatem plane velim. (De Nat. Deor. L. I. C. 22, l. 61.) Non contentus crepusculo obscuro, ad pleniorum lucem, ut Philosophum decebat, pertrahere cupiebat.

suscipiendo sumus pares (a), (non tam a nostro quam parentum institutorumque pendentes iudicio): neque Præjudicia eadem qua reliquæ nostræ sententiæ & appetitus carent vi, ut quo diutius foveantur, eo altius in mentem descendant fortiusque eam occupent, adeoque difficilius evellantur; præterquam quod otium tandem spatiumque ætatis iisdem examinandis atque expellendis sufficiens, non superfit. Hinc maturiori quidem ætati, sed non nimis tamen seræ, hujus negotii industria reservanda est: cui peragendo, felices utique sunt, qui monitis fidelibus de præjudiciorum fraude cæcæque fidei temeritate fugienda, cohortationibus ad evidentiam principiorum atque demonstrationum quærendam, advetudine ad attendendi diligentiam & iudicandi accuracionem adhibendam, studiose a præceptoribus, idque mature & sensim præparantur, (ad quod consilium adjuvandum Geometriæ studium vehementer conferre, post veteres recte Ill. WOLFFIUS (b) monuit), ac deinceps etiam in doctores incidunt iudicii diligentis libertatem non opprimentes sed excitantes, librosque evidenter, acute & libere scriptos terunt. Quæ quibus non contingunt, quam pauci erunt qui suo Marte libere sapere, ac præjudiciorum laqueos eluctati, vim eorum frangere dominationemque excutere prospere postea valebunt! *Post habitum vero recte cogitandi quocunque modo comparatum, viresque animi usu & ætate confirmatas,* (de quarum maturitate, ex felici in Geometriæ studio progressu non vanum itidem

(a) Qui enim considerat, quantum laborem, quantam prudentiam diligentiamque felix dubitatio requirat, facile, putamus, nobis dabit, majore heic opus esse animi constantia, quam quæ ab ætate puerili expectari possit; unde patet, operam hanc feliciter suscipi minime posse, antequam & ingenium & animus maturuerint.

(b) L. c. §. 996.

facere iudicium licet), *quamprimum* hanc opinionum suarum temere receptarum turbam lustrandi, (quarum quidem, imprimis quæ falsæ sint, major minorve multitudo a præcedenti plurimum pendet institutione, sed neminis tamen non magna irrepsit animum cohors), suoapte ingenio studioque suscipiendus est labor. Præter auctam enim, quam ex longiori mora in animos vim accipiunt, quæ (cum aliis causis) efficit, ut seniores & rarius & ægrius jugum excutiant, opinionesque falsas mutant, ac vetera rejicientes, placita nova verioraque amplectantur, quam juniores; non levia quoque interim homini data haud raro constant, quæ itaque quantocius removere, & æqua cogitandi comparata libertate, felicitati suæ promotius rectiusque consulere, oportet. Quibus autem in universum monitis, cuique pro sui ingenii, fortunæ & situs diversitate, rem specialius curatiusque definiendam, permittere cogimur.

§. IV.

Deinde quaeritur, *quo ordine, quaque ratione hæc dubitatio* instituenda sit, & *quousque* extendere illam oporteat? id quod ex *consilio* ejus & scopo, cujus attingendi causa suscipienda est, facile patebit. Itaque licet optabile quidem sit, ut nullis parentes præjudiciis homines, litterarum imprimis studiosi, nihil probent adoptentque nisi diligenter antea expensum evidenterque cognitum; quia tamen tanta est Præjudiciorum multitudo, ut nemini ea omnia eluctandi, omnesque suas opiniones examinandi, & solis accurate exploratis assentiendi, spes superfit (a), (cui

(a) Joco dixit Cel. FONTENELLIUS: *Avec aussi peu de raison, qu'en ont les hommes, il leur faut autant de préjugés qu'ils ont accoutumés à en avoir. Les préjugés sont le supplément de la raison. Tous*

(cui rei neque atas neque otium suppetit, nec humanae mentis angustia atque imbecillitas favet): primum atque praecipue illae opiniones cuique examinandae atque dubitationis aerae subjiciendae sunt, quae cum suo studio, suaeque felicitate proxime & arctissime cohaereant; maxime principiorum loco assumptae, a quibus caeterae imprimis pendent. Et bene est, si harum praecipuas accurate expendere & evidenter cognoscere valuerimus; satis hoc nobis negotii facesset! Deinde paulatim & pedetentim, sive successive, (ut jam loquuntur), hic labor persequendus est; ordine, qui & successus spondeat feliciores, & gravitati atque quasi momento quod in vitae humanae felicitatem opiniones quaeque habeant, sit accommodatus. Nempe facilioribus quidem superato hostibus vincendis, & animus pugnanti additur, & belli peritia victoriarumque spes crescit: molestissimi vero hostes & nocentissimi, quam primum fieri possit, reprimendi sunt & debellandi. Hoc, quoties a nostro res pendet delectu atque arbitrio. Sed quam saepe nobis relictus non sumus, verum externarum rerum subjecti potestati, & quasi flumine abrepti, cursui earum nosmet accommodare cogimur! Tum quidem occasione quacunque oblata faventi prudentes utamur, & rebus attentionem demus, de quibus dubitandi vel necessitas vel utilitas maxime offertur. Otium vero cujusque, & vires, & felicitas, quam multa conari, quamque difficilia liceat, docere eum debent. Nusquam autem in medio quasi cursu subsistamus, sed opinionem quamcumque ad prima sua atque simplicissima usque fundamenta persequamur, aut donec ad talia pervenerimus, quorum veritatem jam antea sollicitè exploratam, indubiam esse

repe-
 ee qui manque d'un côté, on le trouve de l'autre. (Dial. des Morts, Dial. V. entre Straton & Raphael D'Urbain). Id vero certo respectu modoque intellectum, a fato plerorumque mortalium non profus abhorreere, experientia fidem facit.

reperimus. Nec saltum, quem vocant, in hoc negotio peragendo committamus; sed accurate seriem totam perverrigemus, ne vacillanti quidquam fundamento superstruantur.

Minime autem in Dubitatione sola subsistamus; sed curiam causa suscipi, cuique viam aperire & munire debet, illud adjungendum ei est, diligens rei atque opinionis de qua dubitatur, examen. Hac sola ratione ad evidentiam, (sive claram, lucidam & intuitivam veritatis perceptionem), quae consilii laborisque totius finis est, pervenire possumus, ad quem attingendum totus ille referendus est. Quare neque ante evidentiam (vel immediate vel mediate, ut loqui moris est, conspicuam,) repertam quiescamus facile, assidue rationibus ab utraque parte investigatis & ponderatis obtinendam: quae si indubitatae inventae fuerint atque ad fidem faciendam satis validae, de rei veritate persuasi simus; si rationes pro contraria parte praeponderare animadverterimus, opinionem dimittamus; ubi autem nihil nobis de re clari constiterit, iudicium suspendamus.

Requiritur itaque, ut hoc negotium animo suscipiamus a partium studio (quod dubitationi accuratae praeccludit locum), quantum fieri possit alieno; neque cupiditate feramur, rem examini subjectam, vel potius veram vel potius falsam reperiendi, (quod studium bilancem in aequitatem praepropere inclinabit partem, ac iudicium integrum nobis haud relinquet): sed solo illius quod verissimum sit explorandi consilio, animus dubitantis atque examinantis tranquille pareat, totumque se permittat.

§. V.

Cum vero quaeritur: quousque dubitatio haecce extendi debeat? alius etiam huic quaestioni sensus tribui potest,
 B est,

est, nempe *quandiu huic mori indulgere* Philosophum doceat, ut de opinionibus suis dubitans ad examen eas revocet? Quem quin per totam continuare vitam debeat, felix tamen si a versipellis his non deludatur hostibus, nullum quidem remanet dubium. Supererit larga illi semper dubitationis exercendæ materia; nec superiora etiam examina atque judicia, *ubi res poposcerit*, denuo incudi reddere, sibi grave ducat. Crescit enim usu ipsa iudicandi vis & acumen, crescit cognitionis nostræ lux & amplitudo; situsque animi alias faventior est veritati integre & feliciter perspicendæ. Semper meminisse oportet, nos esse homines, hoc est, a labendi periculo haud immunes. Quo tamen ipso auctores hominibus haud sumus, ut perpetuæ dubitationi dediti, rem quamcunque, data etiam opera diligenterque jam a se exploratam, labinde rursus temere sollicitent: sed quæ firmis niti rationibus evidentiaque sese commendare, plane reperimus, iis tuto confidere eaque pro certis habere debemus; nisi *graves rationes*, ad quas animum attendere omnino oportet, pristino nostro iudicio atque inquisitioni diffidere, novamque & accuratiorem denuo instituere, nos iusserint. Quales casus rarius hominibus contingent, *dubitationi temerariae* non impensius faventibus quam *assensioni cæcæ*, nec ullas sententias tanquam exploratas, antequam eas diligenter examinaverint, animo suo infigentibus.

Materiam vero *sobriæ Dubitationi*, vel huiusmodi *dubitandi conatui* subjectam, cancellis circumscribendam esse multi iudicant, neque ad omnes res illam extendere omnino licere autumant; *res scilicet excipientes planissimas, quæ vel Divina auctoritate nituntur, vel summam ceteroquin habent evidentiam, quales sunt propositiones indemonstrabiles* (a).

Quam

(a) Vid. ex. g. WALLERII *Compend. Logicae* §. 181. in notis &

quam cautionem, & ineptam & periculosam esse, atque haud optime de statu ipso quaestionis (quæ non jam de Sceptica & pertinaci est, sed de illa veræ evidentia sese submittentem dubitatione,) informatam proderet mentem, non difficulter intelligitur. Nonne enim pro *axiomatibus* multæ saepe venditæ sunt sententiæ, quas falsas fuisse, instituto diligenti earum examine, postea cognitum fuit? Ac quomodo ad propositionum indemonstrabilium, quas vocant, familiam eas pertinere, nisi facto prius, (absque successu (b) licet), dubitandi de iisdem conatu, nobis tuto constabit? *Petitioni* itaque, quæ dici solet, *principii*, hæc cautio simillima est, ac liberum ad errores Principiorum summorum loco habitos, adeoque tanto nocentiores, animose debellandos aditum præcludit. Nec aliter de altera cautionis parte iudicandum est. Non enim quaeritur, an dubitandum sit de rebus quas *Divina auctoritate* vera niti, facto diligenter examine *reperitum* jam fuit: si nec de rebus, quas *planissimas* esse, simili ratione jam *constitit*; quod nemo sanus vel facere potest, vel faciendum esse contendit. Sed an, quæ pro talibus venditan-

B 2

tur

qui contra commendatam a CARTESIO dubitationem disputarunt, non possunt.

(b) Quem nec Sceptici sibi contingere, cum de summis atque per se evidentissimis principiis dubitare tentant, confirmare audent. Ipsa scilicet contra omnem dubitationis assaultum tuentur; de quibus perseveranter velle dubitare, ac sensui suo & naturæ nostræ potestati contumaciter repugnare, stultitia est, & Scepticorum insaufum consilium; a quo *sobriæ* quam commendamus *dubitatio*, (quæ non ultra quam ad repperitam evidentiam progreditur), vehementer abhorret. De ipsa sententiam nostrorum iudicii vi universa, veritatem (observatis observandis) inveniendi & discernendi, idque tam accurate & prospere ac illius nostræ & felicitas requirit, nisi Scepticus nemo ambigit; quæ ceterum controversia ad præsens nostrum institutum non pertinet; hæc enim axiomata tanquam a Scepticorum insultibus jam satis vindicata spectamus.

tur ac tales ex præjudicio mero creduntur, hac ipsa laude revera dignæ sint? quod, sine præcedenti dubitatione prudenti sciri ac statui tuto non potest. Si dubitatione sobriæ in his rebus locus nullus conceditur, manebit sane Mohammedanus suo semper errori indubitanter & secure addictus; nam de veritate *Korani*, qui Revelationis Divinæ nomine ab infantia sibi commendatus fuit, placitorumque quæ illius auctoritate niti dicuntur, dubitare vel inquirere non audebit. Quod itaque ad Revelationis Divinæ auctoritatem attinet, persuaderi primum Philosopho idoneis argumentis debet, librum vel doctrinam aliquam a Deo revera esse profectam, aut sententiam aliquam quæ pro decreto Revelationis venditur, tali libro talique formula revera contineri; quibus rebus evictis, nulla amplius dubitationis vel ansa vel ratio (non magis quam de aliis veritatibus, quas indubiis niti principiis evidenter jam intelleximus,) remanet. Nec metuendum est, ne veritati, vel planissimæ vel revelatæ, aliquod sic creetur periculum. Non est adeo infirma veritatis conditio, ut a dubitatione sobria & sincera aliquid ei sit timendum; nec erroris & falsi fors, veri conditione est potior atque felicior: examen itaque ejus sine turpi vel pusillanimitate animi, vel imbecillitate ingenii, vel ignavia atque desidiosa, refugium non potest. Valet hic illud CICERONIS: *Opinionum commenta delet dies, nature judicia confirmat* (c).

§. VI.

(c) *De Nat. Deor. L. II, c. 2.* *Præclare SEARCH (Light of Nature pursued, Introd.):* "We need not fear Truth should be long overwhelmed under the sophisms of falsehood: it will always rise at last triumphant over the strongest opposition; or rather like gold, which comes brighter and purer out of the furnace, will get clear of

§. VI.

Dubitationem autem hanc *sobriam*, a nobis commendatam, diversissimam a *Scepticorum* esse insania, nemo non facile videt. Differt utraque ipso consilio atque fine: cum nostrâ *veritatem ac certitudinem* quærat, & ad illam investigandam atque obtinendam comparata tota sit; *Sceptici* autem in illam, quam ab homine nullo prorsus modo intelligendam esse dicunt, tela jacent inimica. *Dubitare* nobis significat *assensionem aliquamdiu cohibere, nec ante evidentiam omnidversam judicium ferre* (a): a quo more prorsus alia est *oppugnatio* sententiæ alicujus cupida & hostilis, tanquam falsæ; quod consilium, animum a partium studio minime immunem prodit. Quare nec placet nobis illorum præceptio, qui opinionem quamcunque *pro falsa habere* iubent, donec contrarii fuerimus convicti (b): sufficit si

B 3

non-

the rest and dross that gathers upon the soundest doctrine by too long quiet."

(a) *Dubitationis* vocabulum varie quidem sumitur, ac de *seria* dubitatione, quæ ex apparente rationum utrinque pugnantium, jamque prædicatorum, æquilibrio oritur, accuratissime forte usurpatur: sed tamen *assensionis* etiam *cohibitio* temporaria, quamdiu rem nondum satis a nobis esse pensam sentimus, hoc nomine non incommode vulgo appellatur; quæ *methodicam* nonnulli vocant, ac *sobriam* (ut a *Scepticorum* insania ac insana distinguatur) dicere solemus. Cfr. SEYDLITZ über die Unterscheidung des Wahren und Falschen, §. 318, 319, 320.

(b) Ipse CARTESIUS, quin & illa etiam, inquit, de quibus dubitamus, utile erit habere pro falsis, ut tanto clarius, quidnam certissimum & cognitum facillimum sit, inveniamus. (*Princip. Philos. P. I, §. 2, p. 1.*)

(c) Nonne autem hoc est alteri parti paullo plus favere? Quin etiam, ubi partes ab utraque parte rationes pugnare mihi videbuntur, cur propensior ad opinionem aliquam falsam ero pronuntiandam, quam veram? Eadem, quam commendavimus, ab omni partium studio immunem, efficere debet, ut nec argumentum aliquod pro futili mox rejiciamus, cuius vim demonstrandi non statim perspiciamus, nec nulli

nondum explorata, incognita & dubia existimetur, donec vel veritas ejus vel falsitas, instituto diligenti rei examine, evidenter percepta fuerit. Sceptici semper iudicium in suspensio tenere, ac in dubitatione subsistere atque manere perpetua nos jubent, eamque ut metam laboris atque consilii sui spectari volunt; nos *examinandi atque explorandi diligentiam* cum ea *conjugimus*, atque illam, via tantum apertioris huic muniendae causa sulciendam esse, docemus. Scepticorum ratio tantum abest, ut hominibus proficit, ut potius maxime sit noxia. De *veritate* enim, ut *unico felicitatis nostrae fundamento* (c), solliciti semper esse debemus; & eam, ubi invenerimus, lubenter amplecti. Quod eam assequi semper non licet, id nullatenus persuadere nobis debet, nunquam illam esse assequendam:

posse percipi iudicemus, quod nobis non liquet. Quoties postea nobis clara & verissima visa sunt, quae primum dubia, quin falsa, putabamus! Unde etque cautos ac iustos in *rejiciendis* opinionibus receptis, quam in *amplectendis*, esse nos oportet; nec etiam precipitantiae vitio infecti, ubi principium aliquod falsum fuisse didicimus, omnes ei adjectas ei que superstructas opiniones, simul condemnabimus; quae forte aliis tamen firmiter nituntur fundamentis. Cfr. FEDER Logik und Metaphysik (V Aufl.) Log. II Hauptst. I Abschn. §. 79.

(c) Quid est enim veritatis cognitio, quatenus hominem spectat, nisi perspectio eorum, quae maxime cum natura nostra conveniant, adeoque etiam ad felicitatem nostram promovendam maxime conducant? Quae autem *errori* potest esse cum *vera ac durabili nostra felicitate* cognatio aut connexio? Unde tanto patet clarius, quod iam monitum fuit, praedicta in primis illa esse fortissime aggredienda & expellenda, quae maxime sint noxia; quae ipsa etiam plurimum ad resistendum habent virium & pertinacitatis, tantoque sunt difficiliora superatu, quanto latiore ac altiore saepe cum hominum cupiditatibus coherent consociatione atque complexu. Quod simul explanat, cur etiam praedicta quae studium cuiusque, vitae genus & negotia attingunt proxime, in primis autem *practica*, & quae in hac atque vitam nostram vim exercent maximam, summo praecipue nisu, summaque diligentia, examinanda & removenda sint.

nam: nec amatores imitari debemus improbos, qui quae potiri sibi non licet amore, in eas mulieres odium suscipiant acerbum (d). Opinionum vulgo receptarum plurimae quidem nihil nisi praedicta sunt, a plerisque sine praemisso debito rerum examine adoptata, quorum quaedam etiam falsa esse, experientia satis docet; quae res idcirco admonere nos debet, ut hoc solo nomine, quod vulgo probatur, opinionem aliquam pro vera mox haud teneremur: sed neque hoc solo nomine, quod pro veris & indubitatis vulgo habentur, falsa statim iudicanda sunt, a hostili animo aggredienda, (quod ita multi tamen homines putare videntur, novo ipsi praedicta delusi (e)), inter quas plurimae sunt, quae vel perpetua & indubia nituntur experientia, vel communi hominum sensu fundentur, atque ad prima & simplicissima omnis humanae cognitionis principia pertineant. *Suspiciosum* esse Philosophum contra caecas & praedictas decet opiniones, (quarum nempe aliae esse verae solent, aliae falsa); non vero iis singulis *inimicum*. Quare nec placet nobis omnino huc translatum acumen SENECAE, nimis generaliter pronunciantis: *non tam bene cum rebus humanis agitur, ut melioribus placeant: argumentum pessimi, turba est* (f). Cui

(d) Egregie Cel. FEDER l. c. "Wisse, daß, wenn es unvollkommenheit unserer Natur ist, die Wahrheit nicht immer in ihrem völligen Lichte zu sehen, es Thorheit sey, dem stärkern und beständigen Scheine nicht nachgeben zu wollen, und lieber von jedwedem Irrlichte sich in der Unwissenheit herum führen zu lassen. Zweifeln aus Liebe zum Zweifel, ist Laster oder Bosheit. Auch hoffe nicht durch zweifelsucht Ansehen zu erlangen: die Welt hat Stolz und Unwissenheit schon zu oft unter dieser Maske entdeckt."

(e) De hujus enim generis valet hominibus, quod bene dixit FEDER: aus Vorurtheil hält man manches für Vorurtheil, was es nicht ist. l. c. §. 77 fin.

(f) De Vita Beata C. II. Quin saepe, quoties ad plenam certitudinem

rationi parentes non pauci, turpitudini sibi fere ducere
 ulla in re cum majori hominum parte consentire, car-
 que ob causam manifestissimis etiam & maxime neces-
 sariis adverlantur veritatibus: qui cum in practicis rebus
 atque ad conformationem vitæ pertinentibus, huic vie
 insistent, morali faventes indifferentissimo, vel vitiorum
 adeo patrocinium suscipientes, perniciosissima humanæ so-
 licitati consilia agitare, merito censendi sunt (g). Ne-
 que sobriæ Dubitationis, sed Scepticæ, morem sequun-
 tur, qui vel verisimilitudine nunquam contenti, (ultra
 quam tamen in multis rebus homini progredi non licet,
 faventissime igitur & obsequiosissime interim, donec cla-
 rior forte nobis lux contigerit, observandam), ubi ad
 plenam pervenire certitudinem non datur, animum vel
 plane despondent, vel eundem inquirendæ veritati mi-
 nus favorabilem fovent. Cui rationi proximos esse au-
 tumamus, qui opinionem aut doctrinam, in qua navos
 nonnullos observant, aut cui vitia adherere quædam re-
 periunt, totam mox cum omnibus sibi adsociatis verita-
 tibus rejiciunt: quomodo agunt qui, VOLTAIRII ex-
 emplo, ob animadversos in religione Romano-Catholica
 errores, Christianam universam damnant, aut omnem S.
 Scripturæ fidem derogant si unum eos dogma offendat,
 quod in ea contineri dicitur; in quam tamen rem, (an-
 nempe vere hoc dicatur,) diligentius inquirere haud cu-
 rant, utpote quæ laborem postulat atque diligentiam, e-
 ruditionem etiam, & facultatem in veteri libro linguæque
 jinn

rudinem pertingere non licet, in rebus practicis præcipue, & ubi sus-
 pendendæ actionis non conceditur facultas, viam maxime tritam potis-
 simum calcare oportet, donec examinandi eam atque meliorem forte
 eligendi contingat nobis copia.

(g) Cfr. hic (Cf. MEINERS) *Revision der Philosophie*, I Th.
 I Abschn. S. 3, f. 70 ff.

iam emortua scripto, perite interpretando, haud medio-
 rem, quam parandi neque otium suppetere sibi videtur,
 nec voluntas aut patientia est. Nodam igitur secare, (quæ
 de facilis & commoda ratio est), quam laboriose solvere
 malant; utrum recte an temere fiat, secari. Sceptico-
 rum huic familiæ, illos quoque annumeramus qui rece-
 ptas hæcenus opiniones tam acri flagrant eliminandi stu-
 dio, ut vetera destruere omnia festinent, etiam antequam de
 novis melioribusque iis substituendis deliberarunt, aut
 horum inveniendorum curam susceperunt; quam notam,
 bodicæ multorum philosophiæ, non injuria allinit Dn.
 ROUSSEAU (h); graviter eo nomine ab alio etiam acu-
 tissimo viro reprehensæ (i). Cujus generis hominum odio,
 quod jactant, præjudiciorum, simpliciter fidendum haud
 est: plerique enim cum veterum loco novis sese turpiter
 emanciparunt, præjudiciorum omnium jugum sese excuf-
 sille gloriantur; multosque audias, qui novo electo du-
 ce, cui cacum addicant obsequium (Voltaire v. g. vel
 Helvetio &c.), priscis parentes antesignanis, (quibus sci-
 licet se longe acutiores, ipsi talpæ, somniant), petulanter
 C
 inle-

(h) *La littérature & le savoir de notre siècle tendent beaucoup plus
 à détruire qu'à édifier.* (Pref. à *Emile*).

(i) *The worst kind of disputing is that which proceeds solely in the
 spirit of opposition, tending to overthrow, but not to establish: for there
 is scarce any system so bad, as not to be better than none at all.
 He that pulls down his neighbours house, does him a diskindness, how
 convenient a dwelling soever it were, unless he furnishes him with a
 plan and materials for building one more commodious. Let every man
 by my consent offer whatever he thinks beneficial to the public; we stand
 obliged to him for his good intentions, however ineffectual they may
 prove, or how much soever we may perceive him mistaken; provided
 he does not meddle with the opinions of others until he finds them stan-
 ding directly athwart his way; then indeed disputation becomes necessa-
 ry, but it is never desirable, nor perhaps ever excusable, unless when
 absolutely necessary.* SEARCH (d. TUCKER) l. c. p. VIII. sq.

infectantur. Minima nempe pars hominum, aut acuminis factis habet, aut animi, aut industriæ, ad veritatem suo ductu investigandam: plerique servire aiorum auctoritati malunt, sapientes tamen & philosophi haberi atque salutari, tantillo impendio cupientes!

§. VII.

Quibus adminiculis sobria atque sapiens & excitari & ali queat dubitatio, ex superioribus existimare licet. Institutorum enim atque doctorum, tam vivorum quam mortuorum, hanc felicitatem primum deberi fidei, amori atque studio veritatis, ingenii que perspicacitæ & libertati, nemo non videt: qui ad felicem recte cogitandi habitum nos adduxerunt. Deinde Historiæ diligens cognitio Litterariæ hoc consilium vehementer adjuvat, quæ & ingentem, quibus acutissimi quoque homines distracti sunt opinionum varietatem, & subinde commutata earum imperia, & tumorum lapsus hominum, & turpem sectarum infelicemque servitutem, vivide ob oculos ponens, ab auctoritatis, & antiquitatis, & novitatis, pluribusque aliis attentum hominem sanare prospere valet Præjudiciis. Unius tantum sectæ audiendis discendis que præceptis, uni legendo librorum generi sese mancipare, periculosa est ratio, atque erectioris ingenii hominibus indigna, qui veritatis unice se studio dederunt. Itaque nec auctores advertit faventes sectæ, ac paradoxos, Scepticos etiam, consulere reformident. Sed tironis, adolescentuli, imbecilliori hebetiorique iudicio ac parum culto præditi, totum hoc dubitandi disquirendique opus haud esse, supra monuimus; verum maturi & ætate & acumine hominis, qui habitum sibi & facultatem verum a falso, speciem inanem a re solida discernendi, comparaverit. Ei igitur lo-

si hoc præceptum damus. Is vero hujusmodi scriptorum acutissimos quosque, & in suo genere præstantissimos audire non negligat; a quibus, si libere scribunt, semper fere aliquid discere licet, etiam cum errare eos atque a recta via deflectere, manifesto cernimus: præjudicia enim nostra, sæpe nos ipsos latentia, inveteratarumque opinionum cæca turba, ab iis sollicitantur atque in suspensionem adducuntur, examinandi atque singula excutiendi excitatur diligentia, ac ita occasio præbetur veritatem nudam simplicemque accuratissime contemplandi. Cum ab iis contra, qui tritam calcare viam soliti atque suos quique duces exscribere contenti, a præscripta sibi formula ne latum quidem (ut dicitur) unguem discedere audent, nihil fere discas; quorum perlecto uno, omnes te perlegisse scias. Audendum vero est sapere (a). Atque ut peregrinas (quin inimicas suæ nonnunquam civitati) qui adeunt terras, multa observant, multa discunt patriæ suæ cognitu utilissima, de quibus domi habitantes ne somnare quidem poterant, atque sic a præjudiciis haud paucis liberantur domesticis; ita qui litterariam hujusmodi suscipiunt peregrinationem atque incognitas antea sibi opinionum regiones perlustrant; non dissimilem ex eo consilio fructum percipiunt. Utrique autem peregrinatorum generi hæc communis esse cautio debet, ut neque ad nova omnia claudentes oculos, cum horrore ea atque odio singula prosequantur, nec novitatis mox fascinati præjudicio, peregrinos quoscunque mores, corruptissimos sæpe atque perniciosissimos, domum secum cupide referant, sed omnia tranquille explorantes, non retineant nisi

C 2

(a) Pulcre FONTENELLIUS: En toute matiere les premiers symmes sont trop bornés, trop étroits, trop timides, & il semble que le vrai même ne soit que le prix d'une certaine hardiesse de raison. (Eloge de Mr. Cassini.)

nisi optima. Itaque ne alterutra pars nimis cito præponderet, in gravibus imprimis rebus atque difficultioribus, non minus diligenter & dociliter audiendi sunt atque consulendi qui defendunt vetera, quam qui nova commendant: qua æquitate & prudentia observata, nihil est periculi, ex hoc instituto, veteri metuendam veritati. Paradoxos quidem & Scepticos scriptores, qui non nisi inclarefcendi & aliorum in se oculos convertendi lati studio, sana omnia tentant atque sollicitant, utilissimas etiam atque necessarias maxime veritates, novi Herophili, pernicioso consilio convellere conantur, hoc nomine minime nos probamus: sed ex petulanti hoc quoque eorum instituto, sapiens fructum comparare sibi potest. Ut ducem belli atque exercitum egregium, hostes callidi & vigilantes, ita hi veritatis defensores excitant, mentesque eorum quasi arrectas tenent (b). Negari quidem nequit, periculum illos imbecillibus atque inexercitatis non raro creare; sed non nisi hoc pretio veritatis splendor a rubigine tuta ac a fordibus immunis conservari potest. Cogunt hi prædones, Philolophos cautos esse, diligentes atque modestos: præjudicia valide terrent atque lædunt, quorum alias jugum multo crudelissimum subeundum sapius esset. Difficile est, prohdolor! hominibus in vera mediaque manere via (c): itaque ab una non minus quam ab alia parte diligenter ca-

(b) "When men are all of a mind, they grow careless, seldom giving themselves the trouble to enter into the grounds of what passes current by universal consent: or else graft their own airy imaginations upon the solid substance. But the vigilance of an adversary suffers no foreign mixtures that will not stand the strictest scrutiny; and his misrepresentations give occasion, for what remains, to be more fully explained and more clearly understood. SEARCH l. c. p. VI. sq.

(c) Cfr. MEINERS l. c.

venda sunt pericula, eaque (hoc repetimus) meta quasi esse Philolopho debet proposita, ad quam suum tendere studium, suam curam suosque conatus, constanter oportet.

§ VIII.

Ex iis quæ hæcenus disputavimus, liquere putamus, non omnium esse sapientis hujusmodi dubitationis ope præjudicia cavere atque ex animo ejicere, neque expectari ab omnibus posse ut hanc rationem diligenter incant. Ut enim pueri auctoritatis sese primum imperio submittere necesse habent, atque aliorum, quo progredi felicititer valeant, fidere judicio; qui gressus quasi dirigant suos, (quod vetus etiam innuit proverbium, quo *discentem esse oportere dicitur credulum*); ita vulgus quod in perpetua manet pueritiæ conditione, eidem fato est obnoxium. *Vulgum autem, ut SENECAE verbis utar, tam oblamydatos quam coronatos voco* (a). Non suppetit plerisque hominibus nec otium, nec patientia laboris, nec acies ingenii, nec quæ præcedere debet cultura mentis, nec pendens inde facultas, tantam rem feliciter perficiendi. *Sequitur itaque fere antecedentium gregem, pergenti non qua eundum est, sed qua itur* (b); alias opiniones quia antiquæ, alias quia novæ sunt, temere probans. Quæ tamen non ita accipi volumus, quasi in quibusdam ad sua præcipue negotia pertinentibus, vulgus etiam verum videre non possit, *experientia* imprimis edoctum, quovis sæpe acumine potiori: sed de iis loquimur quæ ple-

C 3

(a) l. c. Quibus pulere addit: *Non enim colorem vestium, quibus prætexta corpora sunt, adspicio: oculis de homine non credo. Habeo melius certiusque lumen, quo a falsis vera judicem. Animi bonum, summus inveniat.*

(b) SENECA l. c.

plerumque sunt, atque ad litteras & Philosophiam maxime pertinent. Ex quibus omnibus deductum duplex confectarium atque quasi corollarium addimus: primum, ut qui litterarum studiis atque artibus ingenuis colendis addicti, ipsi remove præjudiciorum tenebras vimque eorum & dominationem effugere didicerunt, (generali inprimis sobrie dubitandi & diligenter inquirendi, ac evidentiæ ubique testandi, facultate & consuetudine sibi comparata), ii cives quoque suos & populum rudem meliora docere, lucemque clariorem & benigniorem, quantum fieri possit diffundere, studiose nitantur, atque sic ad communionem quasi fructuum a se comparatorum beneficæ eum vocare, non negligant. Deinde, effuse, imprudenter & ferociter hoc conari eos non oportet, ut adversa quasi fronte præjudicia ejus aggredientes eum exasperent & averfiosem reddant; sed pedetentim, amice & sapienter, præparando primum animos, ac leniter postea illuminando atque flectendo. Sapiens nempe LOCKII præceptum nobis memoria & mente amplectendum est: Quoniam fieri nequit, quin plurimi, quidni dixerim omnes, opiniones sequantur, de quorum veritate haud certo iis constare potest; atque ii levitatis & inscientiæ merito arguendi sunt, qui statim, argumento objecto quod nequeunt solvere, a priori sententiâ decedunt: Æquum mihi videtur, ut homines pacem & concordiam tueantur, ut se invicem humaniter ferant, & in ea qua sunt sententiarum disjunctione, amicitia conjuncti maneant: Præsertim cum non rogandus sit quispiam, ut se ad auctoritatem conferens, atque alterius voluntati obsequens, repudiata sua, sententiâ ipsius amplexaretur. --- Si is, quem idem nobiscum sentire cupimus, ex eorum numero sit, qui sustinent se ab omni assensu usquedum rem prius expenderit, permittendum est, ut is per otium rem totam percurrat, atque eorum qua exci-

derunt animo in memoriam rediens, particulatim omnia & radicatas excutiat, ut videant ita qua potior sit sententiâ; & si in argumentis nostris haud eam putat vim inesse, ut in iis examinandis operæ tantum impenderet, haud ei nos propterea succensere debemus, quibus studia ab aliis nobis in-juncta detrectare quotidianum est. Et si is ex eorum sit farina, qui aliorum opinionibus nituntur, nequicquam speramus ut a dogmatibus recedat, qua vetusta adeo atque animo inusta sunt, ut ea haud aliter amplexetur, quam si per se clara, & a Deo menti ingenita essent. Peræquum est, ut nos ignorantie nostræ mutuo miserti, isti quam fieri potest mollibus præceptis medeamur, nec in alios ira statim excandescamus, aut eorum inflexibilem insectemur obstinationem, quod nolint suas repudiare, & in nostras venire sententiâs, cum fortasse nostra haud minus culpanda sit pernicacia, quod idem cum ipsis sentire nolimus. Ubinam tamen gentium is reperiendus est, cui omnium qua tenet veritas, aut qua improbat dogmatum falsitas comperta est; quisve dicere ausit se suas, aut aliorum opiniones omnes penitus examinasse? Necessitas ista qua in fluxu hoc verum flatu & errore quo versamur, haud certo cognitis assensum præbere constringimur, nos admonere debet nostri potius officii esse veritatem diligenter investigare, quam ab aliis exigere ut in verba nostra jurarent. Saltim ii, a quibus dogmata sua haud radicatis excussa sunt, fateri debent, quam antiquum sit, ut qua tenenda sint aliis præscriberent. Ad illos potius jure pertinet, quibus, post examen accuratum, omnis dubitatio sublata est, qua tueri debent dogmata aliis dicta-

dicere: Hi vero numero pauci adeo sunt, & cur dogmatici forent rationem invenire tam difficile esse vident, ut ab iis nihil insolens aut imperiosum sit metuendum: Nec dubito, quin homines, si majori perspicacia essent, dogmata sua aliis parcius imponerent (c).

(c). De Intellectu Humano L. IV. C. XV, §. 4.

Tout le monde ne fait pas douter; on a besoin de lumieres pour y parvenir, & de force pour s' en tenir là. FONTENELLE.

AD. A. G. M. O. X
DISSERTATIO GRADUALIS

CONTINENS
MONITA QUÆDAM PHILOSOPHICA CIRCA STUDIUM VIRTUTIS HOMINIBUS INSTILLANDUM;

QUAM

VENIA FAC. PHILOS. IN R. ACAD. ABOËNSI,
PRÆSIDE

MAG. HENRICO GABRIELE
PORTHAN,

ELOQU. PROFESS. REG. ET ORD.

Publicæ ventilationi subicit

NICOLAUS MACONI,

ROSSIA-WIBURGENSIS:

In AUDITORIO MAJORI Die XVIII Junii An. MDCCLXXXV:

H. A. M. C.

ABOË,

Impressa apud Viduam Reg. Acad. Typogr. J. C. FRENCKELL: